



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

iiij. An dicendum, quod debeat debitor laborare, vel seruiendo creditori
satisfacere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

SECTIO III.

An dicendum, quod debitor debeat laborare,
vel seruienti creditori satisfacere?

Difficultas secunda, eiusque solutio.

SUMMARIUM.

- 1 Immunitas est non solum ut debitor penam corporalem non luat, sed etiam ut in Ecclesia existens non extrahatur, vinculis non alligetur, & alio modo vexetur.
- 2 Debitor licet ad Ecclesiam confugerit, potest citari, & si se non defendat, creditor obtinebit, non autem tradendus est in seruum creditori: secus dicendum de seruo fugitiuo.

Obiicies secundò ex eodem Cutellio *loc. sup. cit. num. 32. & seqq.* Immunitas solum est, ut debitor penam corporalem non luat, *cap. inter alia, de immunit. Eccles. cap. id. constitutus, & cap. definitur, 17. q. 4.* non autem ut non labore, vel creditori seruienti non satisfaciatur, alioquin irrationabilis esset, quia preiudicat iuri tertij, & fauet nocenti. Vnde seruus fugiens ad Ecclesiam ob seuitiam Domini, securitate accepta, Domino redditur, ne Dominus priuetur iure quæsito, quod habet, ut seruus ei laboret: ergo sic, &c.

- 1 Respondetur, nego priorem partem antecedentis, quia iuxta iura citata immunitas est non solum ut debitor penam corporalem non luat, sed etiam ut ibi existens non extrahatur, vinculis non alligetur, & alio modo non vexetur. Neque hinc absurda, quæ inferebantur, sequuntur; quia poterit debitor citari, & si se non defenderit, mittetur creditor in eius bonorum possessionem, quamvis nunquam tradendus sit in seruum creditori; quia hoc non debetur ei, nisi post sententiam, & in penam. Secus dicendum de seruo fugitiuo, cuius possessio, & dominium est apud dominum, et si contrarium etiam quoad hunc sentiant Abb. in *cap. inter alia, num. 22. Oldrad. conf. 54. Boetius decis. 2. c. 15. n. 7. & Alberic. 1. part. statutorum, q. 39. & in rubr. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.*

SECTIO IV.

An, & quid dicendum de debitore suspecto
de fuga?

Difficultas tertia, eiusque solutio.

SUMMARIUM.

- 1 Debitor suspectus de fuga, est suspectus de graui delicto.
- 2 Suspectus de fuga potest capi, & incarcerari, etiam à iudice incompetenti in die festo.
- 3 Priuilegium immunitatis non excludit suspectum de fuga, nec illud impediri potest delicto debitoris committendo.
- 4 Debitor existens in Ecclesia ne fugiat à iudice, custodia adhiberi potest, & non extrahi.
- 5 Reus carcerari potest in die festo, & puniri, non autem in loco sacro.
- 6 Quæ dicta sunt de debitore, dici etiam possunt de militie qui pecunia accepta fugit.
- 7 Fugiens à militia non est reus criminis læsæ Maiestatis in personam, sed solum in statum.

Obiicies tertio, saltem immunitas non competet debitori suspecto de fuga, ita ut hic saltem ab Ecclesia extrahi possit, & tradendus sit iudici, ut securus reddatur creditor. Atque ita docent nonnulli apud Couar. 2. var. cap. 20. num. 14. & apud Anastasium Germ. de sac. immunit. lib. 3. cap. 16. n. 99. & seqq. ex eo, quod debitor suspectus de fuga est suspectus de graui delicto: ergo Ecclesia, cum possit, impedire illud debet, & sic iudici tradere debitorem, vel alia via de fuga istius securum reddere creditorem: tum ex eo, quod suspectus de fuga potest capi, & incarcerari (etiam ab incompetenti iudice) in die festo, ut rectè docet Couarru. 2. var. c. 20. n. 14. Ergo & poterit capi, & incarcerari in loco sacro, argumento sumpto de tempore ad locum, l. vinum, ff. si certum petatur, l. ratio, §. si per venditorem, ff. de action. empti.

Respondetur, nego antecedens, quia priuilegium immunitatis non excludit suspectum de fuga, nec illud impediri poterit delicto debitoris committendo: tum quia alia via (scilicet si à iudice custodia apponatur) fuga impediri potest, absque eo, quod ab Ecclesia debitor extrahatur. Neque argumentum de tempore ad locum est firmum, quandoquidem reus puniri potest in die festo, non autem in loco sacro. Vnde patet ad opposita responsio, atque ita ex communiori, ac probabiliori sententia Doctorum docent Couarru. & Anastas. Germ. in locis supra cit. Suar. c. 11. n. 3. Farinac. in append. de immunit. cap. 3. n. 60. Ambrosin. de imm. nit. Ecclesi. lib. 3. cap. 13. n. 3. Diana c. re. ol. 32. & Bonac. q. 7. de immunit. §. in princip. Idemque dicas de militie, qui cum militia pecunia accepta fuerit adscriptus, inde fugam arripens, ad Ecclesiam se recepit; quia per talem militiae adscriptionem non est propriè seruus Principis, sed debitor, & per fugam à militia non est reus criminis læsæ Maiestatis in personam, sed solum in statum Principis. Vide quæ dicuntur infra dub. 23. sect. 2. & seqq.

SECTIO V.

An, & quid dicendum de debitore
tributorum?

Difficultas quarta, eiusque solutio.

SUMMARIUM.

- 1 Immunitas quod non competet debitoribus tributorum qui ab Ecclesia extrahi possunt, si consuetudo non esset in contrarium, voluerunt nonnulli Doctores.
- 2 Immunitas in sententia doctorum Doctorum conceditur Ecclesie, quatenus approbat leges civiles immunitatem concedentes.
- 3 Leges civiles potius denegant, quam concedant immunitatem debitoribus tributorum.
- 4 Princeps non presumitur contra seipsum legem condere.
- 5 Immunitas non est solum ex eo, quod Ecclesia approbet leges civiles, sed etiam ex eo, quod omnibus delinquentibus, & reis immunitatem concedat, aliis quibus casibus exceptis.
- 6 In generali concessione immunitatis veniunt etiam debiores, quicumque sint, & qui rei in iudicio, & rei debitorum nominantur.
- 7 Authentica de mandatis Principum, cum iuri Canonico aduersetur, iam ab illo reuocata est.
- 8 Hoc ius immunitatis respectu debitorum, qui in fraudem creditorum rebus suis absconduunt, ad Ecclesiam confugiunt, in aliquibus locis non seruatur.

9 Obligatus